

habere directe et immediate ullam temporalem potestatem, sed solum spiritualem; habere tamen, ratione potestatis spiritualis, saltem indirecte potestatem quamdam, eamque summam, in temporalibus. Ita Hugo de S. Victore, lib. II *de Sacram.*, p. 2, c. 4, quem sequitur Alexander Alensis, 3^a p. *Summae*, q. 40; item S. Bonaventura, *De orig. jurisd.*, q. 3, in fine, aliqui post eos multi. Refertur theologos Romanos judicium censorum præparasse contra Bellarminum, eo quod potestatem indirectam tantum asseruerat, et sumnum Pontificem non sanxisse hoc judicium, propter eximia authoris merita. Unde

Dico: Summa potestas temporalis saltem indirecta Romano Pontifici competit.

Explicatur primum propositio. Etsi Pontifex ut talis nullam habeat potestatem mere temporalem, habet tamen, in ordine ad bonum spirituale, summam potestatem disponendi de rebus temporalibus Christianorum, ut sic attingere possit finem spiritualem sibi præstitutum, id est procurare salutem æternam animarum, quæ omni fini temporali prestat.

Hoc illustratur per similitudinem. Ut enim se habent in homine spiritus et caro, ita se habent in Ecclesia duas potestates, spiritualis scilicet et temporalis. Caro est sine spiritu in brutis, spiritus sine carne in angelis. Ex quo apparet neutrum esse præcise propter alterum. Cum vero caro sit unita spiritui in homine, quia una persona ex eorum conjunctione resultat, necessario habent subordinationem, sine qua impossibilis esset connexio. Caro enim subest, spiritus præest, et licet spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam ut sibi convenit agere, quando hujusmodi actiones fini ipsius spiritus officiunt, spiritus carni imperat et eam castigat, ut in dependentia et subjectione necessaria retineatur.

Ita prorsus politica potestas habet suos principes, suas leges, sua judicia, etc., et similiter ecclesiastica suos episcopos, suos canones, sua judicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem æternam. Inveniuntur quandoque separatae, ut olim tempore Apostolorum, cum

principes infideles non erant de gremio Ecclesiæ, quandoque conjunctæ, ut nunc. Cum autem sunt conjunctæ, unum corpus efficiunt, ideoque, ut sint vere connexæ, inferior debet superiori subjici et subordinari. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus negotiis, sed sinit omnia procedere eodem modo quo fiebant ante unionem, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad hunc finem consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest et debet coercere temporalem omni ratione ac via quæ ad id necessaria esse videtur.

Prob. 1^o ratione. 1^o Potestas civilis potestati spirituali subjecta est, quando utraque pars ad eamdem rem publicam christianam perfinet. Ergo potest princeps spiritualis principi temporali imperare, et de temporalibus disponere in ordine ad bonum superius quod subditis suis procurare tenetur; omnis enim superior inferiori suo imperat. — *Prob.* ant. ex finibus utriusque potestatis. Felicitas temporalis, que est finis potestatis civilis, non est finis ultimus hominis, cuius finis ultimus, scilicet æterna felicitas, est finis proprius et necessarius potestatis spiritualis. Atqui omnia a fine ultimo pendent et ad eum referri debent. Ergo.

2^o Reges et Pontifices, clerici et laici non faciunt spiritualiter duas res publicas, sed unam, id est unam Ecclesiam, que civili re publicæ præstat. Dicit enim Apostolus, *Rom.*, XII, 5: *Multi unum corpus sumus in Christo*, et *I Cor.*, XII, 13: *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*. Atqui in omni corpore membra sunt connexa et dependentia unum ab alio, non autem recte assereretur spiritualia pendere a temporalibus. Ergo temporalia a spiritualibus pendent, illisque subjiciuntur.

3^o Si temporalis administratio impedit bonum spirituale, omnium iudicio tenetur princeps temporalis illum administrandi modum mutare, etiam cum detimento temporalis boni. Unde sequitur, temporalem potestatem spirituali subjectam esse.

4º Potest quaelibet **republica**, quia in se perfecta est et sibi ipsi sufficere debet, cuiilibet alteri reipublicæ, etiam sibi non subjectæ, imperare et eam cogere ad mutandam administrationem, imo etiam ejus principem deponere et alium instituere, quando non potest aliter se ab ejus injuriis defendere. Ergo **multo magis** poterit spiritualis **republica** imperare temporali reipublicæ sibi subjectæ, eamque cogere ad administrationem suam mutandam, et deponere principes atque alios instituere, si non possit aliter bonum spirituale tueri. Quod exprimit, post Bernardum, lib. IV de *Consider.*, Bonifacius VIII in extrav. *Unam sanctam*: « Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is in manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem autoritatem spirituali subjici potestati. Nam, cum dicat Apostolus : *Non est potestas, nisi a Deo ; quæ autem sunt a Deo ordinata sunt*; non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, et tamquam inferior reducetur per alium in suprema. »

5º Non licet Christianis tolerare regem infidelem aut hæreticum conantem pertrahere subditos suos ad suam heresim aut infidelitatem. Atqui ad Pontificem pertinet judicare an rex pertrahat ad hæresim, necne, quia ad nullum alium commissa est cura religionis. Ergo Pontificis est judicare regem esse deponendum vel non deponendum. — Maj. prob. Quando jus humanum et jus divinum opponuntur, debet servari jus divinum, omisso jure humano. Atqui de jure divino est servare veram fidem et religionem, quæ una tantum est et absolute necessaria; de jure autem humano est quod hunc aut illum habeamus regem. Ergo.

Hoc argumentum valde placuit Doctori Angelico dicenti, 2^o 2^o, q. 40, a. 10, o: « Considerandum est quod dominium et prælatio introducta sunt ex jure humano [quantum scilicet ad personas ea possidentes]; distinctio autem fidelium et infidelium est ex jure divino. Jus autem divinum,

quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione. Ideo distinctio fidelium et infidelium, secundum se considerata, non tollit dominium et prælationem infidelium supra fideles. Potest tamen juste per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ authoritatem Dei habentis tale jus dominii vel prælationis tolli; quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem omittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit... » Neque per infideles intelligit S. Thomas solos ethnicos, ut Barclaius et quidam alii videntur existimasse; nam ibid., a. 6, o, diversi generis infideles comparans respectu ad fidem, dicit : « Secundum hoc, infidelitas hæreticorum, qui profitentur fidem Evangelii, et ei renuntiantur, eam corruptentes, gravius peccant quam Judæi, qui fidem Evangelii nunquam suscepserunt. Sed quia [Judæi] suscepserunt ejus figuram in veteri lege, quam male interpretantes corruptunt, ideo etiam eorum infidelitas est gravius peccatum quam infidelitas gentilium, qui nullo modo fidem Evangelii suscepserunt. » Ergo, sub hoc respectu, hæretici sunt deterioris speciei infideles, ut S. Doctor concludit : « Unde, simpliciter loquendo, infidelitas hæreticorum est pessima. » Non tantum erga principes christianos hoc jus S. Doctor Ecclesiæ attribuit, sed etiam erga infideles proprie dictos. Dicit enim in eodem art. 10: « In illis vero infidelibus qui temporaliter Ecclesiæ vel ejus membris non subjacent, prædictum jus Ecclesiæ non statuit, licet posset instituere de jure. Et hoc facit ad scandalum vitandum. » Eadem repetit ibid., q. 12, a. 2, o : « Distinctio fidelium et infidelium est secundum jus divinum, per quod non tollitur jus humanum. Sed aliquis per infidelitatem peccans, potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas... Et ideo, quam cito aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti a dominio ejus et juramento fidelitatis quo ei tenebantur. » Item q. 60, a. 6, ad 3: « Potestas sacerularis subditur spirituali, sicut corpus animæ, ut Gregorius Nazianzenus dicit, *Orat. 47*. Et ideo

non est usurpatum judicium, si spiritualis prælatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel quæ ei a sæculari potestate relinquuntur.» Insuper, in II *Sentent.*, dist. 44, in fine, dicit idem Doctor, in Papa esse apicem utriusque potestatis, spiritualis scilicet et temporalis; unde recte concluditur potestatem temporalem, in his qui eam in gradu inferiori exercent, ei subordinari. Eadem leguntur in lib. III *de Reginne principum*, cap. 10 et 19, quem omittimus, quia de ejus authenticitate non satis constat¹.

Prob. 2^o authoritate et praxi Ecclesiae. Nam in pluribus conciliis œcumenicis Ecclesia statuit laicos qui hæreticos esse deprehenderentur bonis suis temporalibus privandos esse, et subditos a sacramento fidelitatis absolvit erga principes qui hæresim profiterentur, vel hac labe territoria sua purgare negligenter, aut jura ecclesiastica läderent. Hoc constat ex actis conc. Lateran. III et IV, et cone. Lugdun. I. Sit in exemplum sententia ab Innocentio IV in hoc ultimo concilio contra Fridericum II imperatorem lata, his verbis: « Nos itaque super præmissis et compluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris et sacro concilio deliberatione præhabita diligenter, cum Jesu Christi vices immeriti teneamus in terris, nobisque in beati Petri apostoli persona sit dictum: *Quodcumque ligaveris super terram*, etc., memoratum principem qui sese imperio et regnisi, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas impietas a Deo ne regnet vel imperet est abjectus, suis ligatum peccatis et abjectum, omnique honore et dignitate privatum a Domino ostendimus, denuntiamus, ac nihilominus sententiendo privamus, omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti a jure hujusmodi perpetuo absolyentes, etc. » In præcedenti conc. Lateran. IV, Innocentius III Raymundum a comitatu Tolosano similiter deposuerat.

1. Multorum theologorum, tum Angelico coævorum tum posteriorum, testimonia habentur in *Apologia* dissert. Bellarmino de Potestate summi Pontificis, in tomo XII ejus operum. edit. Vives anni 1874.

Ubi advertendum est, 1^o Pontificem in hoc casu egisse ut Christi Vicarium, vi potestatis generalis Petro ejusque successoribus a Christo collatae, et non tantum nudam declarationem emittere, sed sententiam veram authoritative proferre. Dicendum est insuper, Pontificem non a concilio accepisse potestatem quam tunc exercuit; nam, ut supra probatum est, concilium non est supra Papam, sed Papa est supra concilium, et quæcumque « sacro approbante concilio » facit, eadem extra concilium et solus potest facere. 2^o Facta supra laudata ut dogmatica habenda sunt, id est ut doctrinam catholicam de jure vi cuius acta sunt implicantia. Etenim non ad nudum factum unice attendendum est, sed etiam et præcipue ad fundamentum super quo jus a Pontifice et concilio assertum innititur. Atqui in sententia præmissa docetur potestatem istam ex institutione Christi procedere et ad rationem summi pontificatus pertinere. Ergo jure divino Romano Pontifici hæc potestas competit.

Similiter ratiocinandum est de depositione Henrici IV imperatoris, Friderici II patris, a S. Gregorio VII in concilio Romano facta. Parum enim refert quod concilium istud non fuerit œcumenicum, siquidem dictum est hanc potestatem Papæ a concilio nullatenus fuisse collatam. De hoc Pontifice habetur in Breviario Romano sequens encomium: « Contra Henrici imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permanxit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum fidelium communione regnoque privavit, atque subditos populos fidei data liberavit. »

« Ut autem magis in particulari explicitur hæc omnia, inquit Bellarminus, de Summo Pontifice, lib. V, cap. 6, comparanda est potestas Papæ spiritualis cum personis iudicium seu principum sæcularium, cum legibus eorum civilibus et cum eorum foro et judiciis.

» Quantum ad personas, non potest Papa ut Papa ordinarie temporales principes deponere, etiam justa de causa,

eo modo quo deponit episcopos, id est tamquam ordinarius judex. Tamen potest mutare regna, et uni auferre atque alteri conferre, tamquam summus princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem, ut protobatum est.

» Quantum ad leges, non potest Papa ut Papa ordinarie condere legem civilem, vel confirmare aut infirmare leges principum, quia non est ipse princeps Ecclesiæ politicus. Tamen potest omnia illa facere, si aliqua lex civilis sit necessaria ad salutem animarum, et tamen non velint reges eam condere; aut si alia sit noxia animarum saluti, et tamen reges non velint eam abrogare.

» Itaque optima est regula quam tradit Glossa ad cap. Posessor, de Regulis juris in Sexto, quæ talis est : « Quando de eadem re contrariæ inveniuntur leges imperatorie et pontificie, si materia legis est res animarum periculum concernens, abrogatur lex imperatoria per pontificiam. » Et hoc modo lex quæ habetur cap. Si qui, de Præscript. abrogavit legem imperatoriam quæ habetur in Codice, de præscript. triginta vel quadraginta annorum, etiam cum mala fide, quæ non poterat servari sine peccato mortali. At quando materia legis est res temporalis non concernens animarum periculum, non potest lex pontificie abrogare legem imperatoriam, sed utraque servanda est, illa in foro ecclesiastico, ista in foro civili.

» Quantum ad judicia, non potest Papa ut Papa ordinarie judicare de rebus temporalibus. Recte enim Bernardus Eugenio, lib. I de Consider., cap. 6 : « Habent hæc infima et terrena judicées suos, reges et principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? » Item : « In crimini bus, non in possessionibus potestas vestra. » At nihilominus in casu quo id animarum saluti necessarium est, potest Pontifex assumere etiam temporalia judicia, quando nimis non est ullus qui possit judicare, ut cum duo reges supremi contendunt, vel quando qui possunt et debent judicare, non volunt sententiam ferre. Unde ibidem Bernardus, cap. 7 : « Sed aliud est, inquit, incidenter

» excurrere in ista, causa quidem urgente; aliud ultiro » incumbere istis, tamquam magnis dignisque tali et » talium intentione rebus. » Et Innocentius III, cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, dicit, jurisdictionem temporalem solum casualiter Pontificem exercere. »]

ARTICULUS VIII

Quid sit Cleri Gallicani de ecclesiastica potestate Declaratio, anni 1682, et quid de ea sentiendum?

[*Resp. 1º. Quid sit hæc celebris declaratio, satis intellegitur ex ipso textu, quem hic apponimus :*

« Ecclesiæ Gallicanæ decretæ et libertates a majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris canonibus et Patrum traditione nixa multi diruere moluntur; nec desunt qui earum obtentu primatum beati Petri ejusque successorum Romanorum Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua fides prædicatur et unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil praetermittunt quo eam potestatem, qua pax Ecclesiæ continetur, invidiosam et gravem regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ matris Christique adeo communione dissocient.

» Quæ ut incommoda propulsemus, nos archiepiscopi et episcopi Parisiis mandato regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, una cum ceteris ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenter tractatu habito, hæc sancienda et declaranda esse duximus.

I. — » Primum, beato Petro, ejusque successoribus Christi vicariis, ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium et ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam potestatem, dicente Domino :

Regnum meum non est de hoc mundo, et iterum : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo; ac proinde stare apostolicum illud : Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiastice potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitatæ necessariam, nec minus Ecclesiæ quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni et sanctorum exemplis consonam omnino refinendam.

H. — » Sic autem inesse Apostolicæ Sedi ac Petri successoribus, Christi vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctæ oecumenicæ Constantiensis, a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate conciliorum generalium, quæ sessione IV et V continentur; nec probari a Gallicana Ecclesia qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant.

III. — » Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos ac totius mundi reverentia consecratos; valere etiam regulas, mores et instituta a regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcusso; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta et consuetudines tantæ Sedis et ecclesiarum consensione firmate propriam stabilitatem obtineant.

IV. — » In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

« Quæ accepta a Patribus ad omnes ecclesias gallicanas atque episcopos iis Spiritu sancto auctore præsidentesmittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu et in eadem sententia. »

Resp. 2º. Quid sentiendum sit de prædicta declaratione, compertum erit perpenso unoquoque articulo, et collato præsertim cum constitutione *Pastor æternus*, de primatu Pontificis Romani, in synodo Vaticana edita et promulgata.

1º Doctrina articuli primi Declarationis abundanter fuit refutata in articulo nostro precedentem, ubi agitur de potestate temporali quæ Romano Pontifici competit.

Observandum est in hoc articulo perperam invocari verbum Christi, *Ioann.*, xviii, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo*, quasi significet regnum seu potestatem et auctoritatem Christi, ejusque Vicarii, nequaquam et sub quolibet respectu ad res hujus mundi seu ad res temporales spectare. Contextus invicte probat hujus loci sensum audacter fuisse detortum in erroneæ doctrinæ fulcimentum. Interrogante enim Pilato : *Tu es rex Judæorum?* respondet Jesus : *Regnum meum non est de hoc mundo...* Nunc autem regnum meum non est HINC. Ingerminanti quæstionem, respondet iterum : *Tu dicas quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Ex his patet Christianum fuisse constitutum regem a Patre, a quo audivit, *Psal. ii, 8 : Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea*, etc. Verbis prædictis asseruit tantum suam potestatem non ex voluntate humana, sed ex institutione divina oriri. Quænam vero sit et ad quæ extendatur, in persona Pontificis Romani, supra fuit determinatum. Hic sufficiat demonstrare verba usurpata omnino extra rem esse.

2º In secundo articulo affirmatur *plenam* potestatem Romani Pontificis, etiam in rebus spiritualibus, non esse plenam, utpote auctoritati concilii generalis inferiorem, juxta decreta in sessionibus IV et V concilii generalis

Constantiensis edita. Hoc falsum esse, fuit demonstratum in art. præced. Quod ad decreta Constantiensia speciatim attinet, dictum est et probatum, hoc concilium non fuisse œcumenicum tempore quo hæc decreta edidit, et etiam œcumenicitatem tunc non potuisse habere, et insuper Martinum V in legitimum Pontificem electum rata ea non habuisse. Hæc ibi require, in resp. ad 1^{am} obj.

3^o Tertius articulus potestati monarchice Pontificis Romani limites arbitrarios injuriose assignat. Supponit enim Christum, cum Ecclesiam suam constituit, Petro ejusque successoribus, tamquam pastoribus et rectoribus supremis, eam regendam ita commisisse, ut cuiilibet ecclesie particulari licet hanc autoritatem pro libitu suo in rebus disciplinaribus declinare et impotentem reddere. Et eo magis offenditur pontificia majestas, quo regiae potestati attribuitur jus canones illius ecclesiae particularis ita sanciendi, ut inconcussa maneant, propriam stabilitatem obtineant et Sancta Sedis ordinationibus prævaleant; unde Pontifex Romanus, quem articulus primus a negotiis sacerdotalibus omnino arect, etiam cum quæstiones spirituales ex iis exsurgunt, in rebus spiritualibus autoritate regiae per hunc tertium articulum subjicitur. Gravissime ergo primatus Romani Pontificis lœditur, unitasque regiminis in Ecclesia destruitur.

4^o Quod ad articulum quartum attinet, cum Pontifici Romano deneget prærogativam infallibilitatis quæ supra ipsi fuit asserta ex Scriptura et traditione, et præsertim ex definitione solemnri in synodo Vaticana edita, ut formaliter hæreticus nunc habendus est.

Ex præmissis patet Declarationem Gallicanam in omnibus partibus suis esse rejiciendam. Statim atque publicata est, a Sancta Sede fuit reprobata et damnata. Censores Romani, in congregatione Cardinalium et theologorum quorum judicio specialiter ab Innocentio XI fuerat commissa, pronuntiaverunt singulas propositiones gallicanas non posse mitius proscribi, quam abstinendo ad summum a nota hæreseos; scilicet iis inurendas esse cæteras inferiores notas. Unde Innocentius XI, per litteras in forma

brevis datas die 11 aprilis ejusdem anni 1682, improbat, rescidit et cassavit quæ in dictis comitiis peracta fuerant, caue perpetuo irrita et inania declaravit. Alexander VIII, ejus successor, solemniori constitutione, quæ incipit *Inter multiplices*, data 4 augusti 1690, sic decernit: « Motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, omnia et singula quæ tam quoad extensionem juris regalæ, quam quoad declarationem de potestate ecclesiastica, ac quatuor in ea contentas propositiones in supradictis comitiis Cleri Gallicani anno 1682 habitis acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, confirmationibus, declarationibus, epistolis, edictis et decretis, a quibusvis personis sive ecclesiasticis sive laicis, quomodolibet qualificatis, quavis autoritate et potestate fungentibus, editis seu publicatis¹,... ipso jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cuiuslibet eorum, etsi juramento vallata sint, observantiam teneri,... tenore præsentium declaramus et decernimus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, acta et gesta prefata alia que præmissa omnia, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, improbamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et contra illa deque eorum nullitate coram Deo protestamur. » Viris ecclesiasticis qui his comitiis adfuerant et quos postea ad sedes episcopales sive novas sive altiores rex designavit, Innocentius XII bullas institutionis canonicae concedere recusavit, nisi per supplices litteras ei obtestarentur se de gestis hujusmodi « vehementer quidem et supra id quod dici potest ex corde dolere. » Tandem Ludovicus XIV, qui Declarationem omnibus tradi et ab omnibus teneri jussерat, ipse ad

1. Hæc verba referuntur ad mandata regia, parliamentorum arresta et epistolæ episcopales quibus Declarationem acceptandam et observandam esse fuerat decretum.

eumdem Innocentium XII testificatus est se mandasse ut nemo edictum hac de re datum observare teneretur.

Omissis pluribus aliis Sanctæ Sedi super hac infausta Declaratione condemnationibus, subjungendum est hic judicium de ea latum a Pio VI, in constit. *Auctorem fidei*, data 28 augusti 1794, qua reprobantur et rescinduntur acta et decreta synodi Pistoriensis anno 1786 habitæ : « Neque silentio prætereunda, inquit, insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab Apostolica Sede conventus Gallicani declarationem anni 1682 ausa sit, non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi autoritatem conciliaret, eam in decretum de *Fide* inscriptum insidiouse includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quæ sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solemni professione obsignare. Quo sane, non solum gravior longe se nobis offert de synodo, quam prædecessoribus nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanæ Ecclesiæ non levis injury irrogatur, quam dignam synodus existimaverit cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum quibus illud est contaminatum decretum. Quamobrem, que acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, prædecessor nostervenerabilis Innocentius XI, per litteras in forma brevis die 11 aprilis anni 1682, post autem expressius Alexander VIII, constitutione *Inter multiplices*, die 4 augusti anni 1690, pro apostolici sui muneri ratione, improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt ; multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac præsertim, post edita prædecessorum nostrorum decreta, huic Apostolicæ Sedi summopere injuriam, reprobare ac damnare, prout eam præsenti hac nostra constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberí volumus. »

Hæc tam infausta quam celebris Declaratio, primatui Pontificis Romani infensissima, ultimo telo per constit. *Eterni Patris* synodi Vaticanæ confixa, prorsus interempta

et exanimis jacet, cui, si iterum in judicium formaliter adduceretur, nota *haereses* certo inureretur.]

ARTICULUS IX

Utrum doctrina Declarationis anni 1682, ipsaque Declaratio, Ecclesiæ Gallicanæ merito fuerint attributæ ?

[*Resp.* negative.

Prob. factis historicis.

1º Ante concilium Constantiense, id est ante annum 1413, prorsus inaudita erat, in Galliis sicut et in cæteris regionibus, doctrina in Declaratione anni 1682 expressa. Ab omnibus admittebatur definitio concilii Lugdunensis II, anni 1274, scilicet : « Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum super universam Ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine receperisse, veraciter et humiliter recognoscit. Etsicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio desiniri... Et eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, et ipsarum prælati obedientiam et reverentiam ipsi dant. »

Probatum est supra, ex certis et inconcussis monumentis doctrinam in actis hujus concilii tam clare consignatam ubique viguisse. Vigebat et in universitate Parisiensi, ut constat testimoniis allatis S. Thomæ, qui in hoc cum magistro suo Alberto Magno concinebat¹. Anno 1387, tota hæc universitas in consistorio apud Clementem VII, cui tamquam legitimo adhærebat, Romani Pontificis infal-

1. Testimonia plurium doctorum hujus universitatis Angelico posteriorum refert Bouix, *de Papa*, part. II, sect. 2, cap. 3, prop. 53. Hic abundanter quæstio primatus Romani Pontificis doctrinaliter et historicè eruditissime tractatur.

libilitatem per magistrum Petrum de Alliaço profitebatur, his verbis : « Sancta Sedes Apostolica ut illa cathedra Petri, supra quam, Hieronymo teste, fundata est Ecclesia, ut habetur in eadem quæstione (causa 24, q. 1, c. 25), cap. Quoniam vetusto, et sicut dicit Cyprianus, 93^a dist., can. Qui *cathedram*. De qua Sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est : *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, *Luc.*, *xxii*, 32. Hæc est igitur ad quam determinatio fidei et approbatio veritatis catholicæ ac hereticæ impietatis detestatio maxime pertinet. » Cum ageret rex Galliæ apud Clementem V, ut predecessorum suum Bonifacium VIII hæreticum fuisse declararet, non quidem ut Papam, sed ut doctorem privatum, proceres Galliæ, in libello supplici huic Pontifici ad hunc finem oblato, doctrinam communem sic exprimebant : » Non queritur de hæresi Papæ quondam *ut Papæ*, sed *ut privatae persona*. Nec enim ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona. Nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, fuit hæreticus. » In immensum congeri possent catholicorum scriptorum qui ante concilium Constantiense primatum Romani Pontificis et præcipue ejus inerrantium pro indubitate habuerunt, nullusque qui contrariae sententiae adhæserit usque modo detegi potuit. Quod sic, inter alios eruditos, adnotat Theophilus Raynaudus, in opusculo suo *Aντὸς εργα*, punct. xi, tom. xx Operum : « Frustra plures theologos conquirerem, cum possent omnes adduci quotquot ante concilium Constantiense floruerunt. Nam non nisi a tempore concilii Constantiensi et Basileensis revocata est in controversiam hæc veritas apud catholicos. Sed omnes anteriores unanimiter docuerunt, definitiones pontificias, etiam absque generali concilio editas, facere rem de fide, et omne judicium de fide finaliter pertinere ad Sedem Apostolicam. Ita diserte Ruardus Tapper, oratione tertia theologica, num. 7. » Idem asserunt Bannez, in 2^{am} 2^æ S. Thomæ, quæst. 1, art. 10, concl. 3; Cardinalis de Aguirra, *Defensio cathedralæ Petri*, disput. vii, sect. 2, num. 13.

2º Opinionis quæ gallicana dicitur, quæque apud catho-

licos antea inaudita fuerat, authores exstitisse Petrum de Alliaço et Joannem Gersonem, ejus discipulum, affirmat Ballerini, *De potestate ecclesiastica*, appendix, § 12. At existimat hos duos etiam doctores pro contraria doctrina aliquando stetisse, et nonnisi sibi contradicendo ad errorem de Papa in decretis de fide fallibili deflexisse. Et quidem Petrus de Alliaço, in legatione quam universitatis Parisiensis nomine Avenione apud Clementem VII gessit, traditionem antiquam secutus, Christique promissis *innexus*, affirmavit : « De qua Sede (Romana) in persona Petri in eo sedentis dictum est : « *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. » Similiter in tractatu quem eidem Clementi et cardinalibus obtulit, eadem Christi promissione laudata, approbat quod in capite *Hæc est fides*, causa 22, q. 1, c. 3, de Sede Romana ab Hieronymo dicitur, scilicet : « *Ipsa semper immaculata permansit, et in futuro permanebit*. » Infertque statim : « Ex quibus omnibus satis patet, quod ejus nunquam deficit fides, » uti Christus promiserat. Non absimiliter Joannes Gerson, in sermone coram Alexander V in festo Ascensionis Domini habito, rationem redditurus cur Graeca Ecclesia erroribus circa fidem fuerit vitiata, non autem Latina, Romanæ fidei indefectibilitatem exinde deducit, quia « *Latinitas ipsa purior et immaculata sedem habet Petri, pro cuius fide, ne deficeret, specialiter oravit ille qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia*. » Et ipse, quamvis adulationi tribuat de Romani Pontificis inerrantia doctrinam, eam tamen ante Constantiense concilium communiter receptam testatur his valde attendendis verbis, *De potestate ecclesiastica*, consider. 12 : « *Fallor, si non ante celebrationem hujus sacrosanctæ Constantiensis synodi sic occupaverat mentes plurimorum, litteralium magis quam litteratorum, ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus*. » Eadem pluribus in locis recantat. De novitate ergo doctrinæ constat, et id fuit de novo notatum in sessione comitiorum cleri Galliani habita die 26 novembris 1681, a Jansenista Coquelin, ecclesiæ et universitatis Parisiensis cancellario, qui fuit ipse promotor celebri conventus anni 1682.

3º Etsi doctrina a Petro de Alliaco et Joanne Gerson professa post concilium Constantiense a pluribus canonistis et theologis fuerit admissa in Galliis, cæteris nationibus eam respuentibus, falso assereretur eam ab Ecclesia Gallicana fuisse amplexatam. Definitio concilii Florentini de primatu Pontificis Romani, anno 1439, qua doctrina concilii Constantiensis prorsus subvertebatur, ubique fuit acceptata in Ecclesia Latina, et in Ecclesia Gallicana omnino prævaluit. Legitur enim in actibus conventus Cleri Gallicani Melodunensis anni 1579, tit. I constit., qui est de fidei professione : « Operam dabunt ii quibus hæc cura demandata est, episcopi scilicet et eorum vicarii, ut in omnibus synodis, tam diœcesanis quam provincialibus, omnes et singuli, tum clerici tum laici, amplectantur et aperta professione eam fidem prouunt, quam sancta Romana Ecclesia, magistra, columna et firmamentum veritatis profitetur et colit. Ad hanc enim, propter suam principalitatem, necesse est omnes convenire ecclesias. »

Hanc doctrinam ab universitate Parisiensi teneri, testis est Mauclerc, doctor Sorbonicus, qui in celebri suo opere de *Monarchia*, anno 1622 edito, tit. I, scribebat : « Illud præ nobis in conscientia tamquam verum et cathoicum ferre debemus et animo constanti vereque christiano firmiter asserendo testari : Romanum Pontificem aliquid in spectantibus ad fidem, quatenus supremus universalis Ecclesiæ doctor est, definire non posse, quod errore sit aliquo commaculatum. » In fulcimentum hujus sententiae invocat authoritatem S. Thomæ, idem pluribus in locis docentem, cuius testimonia supra fuerunt adducta.

Conventus Cleri Gallicani anni 1625 infallibilitatem Pontificis Romani aperte professus fuerat. Ejus acta fuerunt suppressa a posteriori conventu, non ad delendam hanc professionem, ut quidam affirmarunt, sed quia ibi querelæ contra episcopos motæ ad solas synodos provinciales deferabantur, et periculum erat ne hæc attributio reprobaretur et damnaretur a Sede Apostolica, cuius juri-

bus hujusmodi decisione derogabatur¹. In epistola anno 1651 ad Innocentium X missa, qua judicio Sanctæ Sedis quinque janseniane propositiones deferebantur, octoginta quinque episcopi gallicani scribunt : « Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat. Aequissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa religionem negotio Sanctitatib[us] Tuæ scribendum esse censuimus. » Cum Innocentius X quinque propositiones ipsi delatas constitutione sua *Cum occasione*, 9 junii 1653, condemnasset, iterum ad eum scripsere Galliæ episcopi, die 13 juli ejusdem anni, in hunc modum : « Optata pervenit ad nos tandem constitutio illa qua Vestrae Sanetitatis autoritate quid sentiendum sit de quinque propositionibus... perspicue decernitur... Hujus doctrinæ (catholicæ) lucem, recentioris illius authoris (Jansenii) disputationibus obscuratam, pristino nitoris restituit, juxta veterem fidei regulam,... prolatum a Sanctitate Vestra, postulantibus compluribus Galliarum episcopis, decretum... Enimvero vetustæ illius ætatis Ecclesia catholica... perspectum habebat, non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, et ex anathematismis adversus Apollinarium et Macedonium, nondum abulla synodo damnatos, a Damaso paulo antea jactis, judicia pro scientia regula fidei a summis Pontificibus lata, super episcoporum consultatione, sive suam in actis relationibus sententiam ponant, sive omittant, prout illis collubuerit, divina æque ac summa per universam Ecclesiam authoritate niti: cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Ea nos quoque sententia ac fide imbuti, etc. » Quo nihil expressius declarari poterat. Idem antistites Parisiis congregati, eadem die ad reliquos Galliæ archiepiscopos et episcopos litteras direxerunt, quibus eamdem profitebantur doctrinam.

1. Cfr. Zaccariam, *Antifebronius vindicatus*, dissert. v, cap. 2, n. 4.